

fissimo euentu, compositione cū sulphure, demonstrarit in puluere bombardico, à qua terrenum fulgur meritò vocari posset. Non aliter ex sale liquoris terrę, quod naturale balsamum est vniuersale, quo res omnes conduntur in sui compositione, tandem ex isto particulari per resolutionem rerū in terram iterum reuertenti, nascitur vt suprà sal vnicum, quod postea per poros terræ colans in conorum glaciæ formam coagulatur adhærens petris, vnde nitri nomen in sal petræ commutauit. Neutrū tamen ad internam medicinā vsq; adeò idoneum, nisi ad conciliandam obesitatis corporibus maciem, nec sic quidē admodum tutum remedium, nisi cum sale cupri permisceantur duo, vel tria per extractionis opus, & in vnum conueniāt ad suum vsum.

De vitio salis nutrimenti.

CAP. XIII.

SAL omne cibarium quod à stomacho digestum non fuerit, & per expulsionē deuenerit in intestina, nisi transitum faciat, colicam, iliacamve passionem generat curatu præ cæteris difficilimam. Corro-